

jus ductu ex Dalmatiæ finibus depulso : de quibus , quia 1083
 cum ea gente sapius a nostris dimicatum constat , pauca re-
 ferenda sunt . Fuerunt illi , ut quidam memoriæ prodide-
 runt , Aquitanici Oceani accolæ : qui quum proxima maria
 aliquandiu latrociniis infestassent , procedente tempore Rol-
 lo Duce per Ligerim fluvium Gallias ingressi , Lotharingiam
 cum Germaniæ parte ferro & igni populati sunt . Rollus cum
 Carolo tertio , cui Simplex cognomen fuit , fœdus percussit :
 cujus suasu Christiana fide recepta ex hoste hospes factus , Ru-
 bertusque postea vocatus , Regis filiam uxorem duxit : qui-
 bus nuptiis Carolo conciliatus , regionem Sequanæ proxi-
 mam incolendam accepit , quæ ab ipsis incolis jam inde Nor-
 mania dicta est . Fuit is de quo loquor , Ruberti atavus , qui
 postea circa alpes Normanicum nomen traduxit : de quo pau-
 ca adhuc restant dicenda , ut gestarum rerum ratio magis sit
 perspicua . Erant res Italiæ per id tempus , quo Ruberti ju-
 nioris res circa Lucaniam & in Sicilia illustres esse cœperunt ,
 tum aliis recentibus cladibus , tum Sarracenorum armis ,
 quæ longe lateque in ipsa terra , sed in Sicilia latius vagaban-
 tur , miserabili modo accisæ : sed illud in dubium venit , hu-
 jus ne auspiciis an alterius , ejus gentis ex Gallia in Italiam
 Normanicæ opes traductæ sint . Constat enim , abnepotem
 hunc fuisse majoris illius Ruberti , qui ex Oceani littoribus
 in mediterranea Galliæ per Ligerim penetrarat : quod facile
 accidere potuit , ut regii sanguinis aliquis ante eum Norma-
 nica arma in Galliam Cisalpinam , quæ hodie pars Italiæ est ,
 invexerit . Hinc certe plerique ajunt , Rubertum juniorem
 primum in Sarracenos movisse . Verum enimvero utcunque
 res sese habet , illud inter omnes convenit , uno fere atque
 eodem tempore , ex Italia Siciliaque multis ejus gentis inte-
 rim millibus utrobique cæsis , barbaros Normani opera subla-
 tos , Græcosque ex Calabria & Appulia ejectos . Sed quum
 post varios ejus gentis successus , Normanorum vires Romano
 Pontifici suspectæ esse cœpissent : quippe quæ & in Sicilia &
 magna Italiæ parte plus ad eam diem creverant , quam aut
 rebus Ecclesiæ , aut aliis tutum videretur . Nam & Lucania
 novissime occupata , constans fama erat , Normanum in Cam-
 paniam

*Que Gui-
 scardi ductu
 in Italia &
 Sicilia ab
 iis gesta .*